NICOLAUS DE LYRA
Österreich (Salzburg), 1457 Seite 180r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26859
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quod corripere aliquem verbo est eum docere. Dicit igitur Seniorem ne increpaveris arguendo eum verbis duris sed obsecra ut patrem, ut caveat ab indecentibus senectuti. Hoc tamen non est intelligendum de senibus in sua malicia obstinatis, qui sunt acriter arguendi. Sic Daniel dixit coram omnibus, increpavit senes impudicos, Danielis 13. Iuvenes ut fratres, ut parientes affectum dilectionis facilius corrigantur. Anus ut matres, ut honorifico verbo ad bonum magis moveantur. Iuvenculas ut sorores, ut mansuetudine corrigantur, secundum illud psalmus 89 Quoniam supervenit mansuetudo et corripiemur. Verumtamen quia talis mansuetudo non debet esse minus alliciens, ideo subditur In omni castitate, ut nec verbo nec signo aliquo possit aliquis episcopum notare de aliqua levitate erga iuvenculas.

Viduas honora. Ca. v.

Hec est quinta pars huius epistole, in qua Thimotheum instruit de honesto actu ad episcopum pertinente, qui est bona ecclesie fideliter dispensare, que dispensanda sunt ministris ecclesie et pauperum. Ita episcopus est pater pauperum; inter pauperes autem maxime videtur compaciendum esse viduis. Et ideo primo instruit Tymotheum de viduis, 2o de ecclesie ministris ibi Qui bene presunt. Prima in duas, quia primo proponit intentum in generali, 2o prosequitur magis in speciali ibi Si qua autem. Circa primum sciendum quod honor dupliciter accipitur in scriptura: uno modo pro reverencie exhibicione, alio modo pro necessariorum amministracione. Unde dicit Salvator Mt. A. Quod illi qui sub specie religionis faciebant oblaciones de hoc unde parentes debebant sustentari erant transgressores divini precepti de honore parentum. Sciendum etiam quod vere vidue sunt in duplici differencia, quia alique sunt divites et illis debetur honor primo modo dictus; alie vero pauperes, quibus debetur honor 2o modo dictus. Et sic intelligendum est verbum apostoli cum dicit Viduas honora, hoc modo vel illo secundum earum condiciones. Que vere vidue sunt: hoc dicit ad excludendum illas que meritum viduitatis perdunt. Si qua autem. Hic consequenter prosequitur intentum magis in speciali, et ostendit primo de hiis que sunt vidue vere nominande, 2o qualiter sunt sustentande ibi Si quis fidelis. Prima in duas, quia primo ostendit que dicende sunt vere vidue racione morum, 2o racione annorum ibi Vidua eligatur. Prima in duas, quia primo ponit quandam distinctionem, 2o unius membri racionem ibi Si quis autem. Distinctio vero est de viduis divitibus et pauperibus.